

Rome, avril(ou mai)1600.

Henri de Lorraine

/ Illustrissime, et Reverendissime Domine. Utinam talis essem in
 oculis Dei, qualem me charitas depinxit in corde Illustrissimae Do-
 minationis tuae. Utinam sic vere meritis abundarem, ut possem in eo-
 rum communionem alios admittere, et non ego potius propriis destitu-
 5 tus, alienis egerem. Utinam liceret hoc praesertim sancto anno Domi-
 nationem tuam Illustrissimam Romae videre, alloqui, complecti, ut da-
 retur etiam loca sancta simul obire, et in peregrinis turmatim ad-
 ventantibus Christi pedes abluere, atque in eisdem peregrinis eidem
 Redemptori nostro ad mensam famulari: quae munera frequenter obit
 10 summa devotione Christi Vicarius, obeunt et Cardinales, caeterique
 Praelati, nec minore humilitate Principes saeculares. Sed Illustris-
 sima Dominatio tua, ut servum Dei prudentem, et fidelem decet, ante-
 posuit consolationi suae proprii gregis utilitatem, quod non possum
 non valde probare, idem ipse factururus omnino, si ecclesiam meae curae
 15 commissam haberem. Quod attinet ad negotium collegii Verdunensis,
 intelligam ex Patre Comeleto, qua in re mea opera collegium illud
 indigeat; et pro viribus laborabo, ut res pro voto succedat. Preca-
 bor interim Deum, ut qui Dominationem tuam Illustrissimam ab utero
 matris elegit, quique tam alta iecit in sacro pectore adolescentis
 20 Episcopi fundamenta humilitatis, et charitatis, omniumque virtutum,
 opus suum ipse perficiat, et, crescentibus annis, simul crescant cu-
 m uli meritorum, et gratiarum; me vero iam senio frigescentem in con-
 sortium charitatis tuae, aliorumque ferventium servorum suorum non
 aestimator meriti, sed veniae largitor admittat. Romae, 1600.

25 Fuligatti. Epist. familiares, X.